

10
P R O P E M P T I C A

I N

H O N O R E M N O -
B I L I S S I M I , P I I S S I M I , D O -
C T I S S I M I A C R E L I Q V I S A N I M I
dotibus ornatissimi iuvenis Dn. Sigis-
mundi Peczi de Vyfalu, cum post per-
textam suorum studiorum telam ex in-
clyta V Vitebergensium Academia, quò
ex Argentorensi Academia concesserat, in
Vngariam rediret xxv. Martij Anno
salutiferi partus C D . I D .

L X X I X observantiae

causa scriptum

ab

Amicis & popularibus



V V I T E B E R G Æ ,

Typis Zachariae Cratonis.

76



Rocul remotas à patria solo
Terras & urbes orbis in ultima
Ora latentes, qui subijcit
Multiplici pereger labore,
Hunc laude dignum quilibet estimat
Summa, loquentem suscipit, & novum
Solona descendisse celo
Dulichium putat aut Ulysses:
At eruditus alter in artibus
Consumit avum, nec patria pedem
E sede ponens, à magistris
Quaè potest didicisse mutis,
Is, haud minori mactus adorea,
Magni reportat premia nominis,
Nec se latendo perdidisse
Ad varios reputatur usus:
Hic laude dignus, dignus & est prior,
Et hoc & illo maior erit tamen,
Vtrumq; temperans: in unum
Hæc referens, feret omne peractum,
Sermone totus Socratico madens,
Et exterorum sensu hominum sciet,
Multum ille vel caris amicis
Utilis t aut patria futurus.

At ò sororum delitiæ nouem,
Pars & meorum magna sodalium,
Vtrumq; præstitisse prima
Te, Sigemunde, paret iuuenta
Dulci remotas à patriæ sinu
Terras inisti, nec satis hoc: super
Non erubescendis adauctum
Cultibus ingenium reportas.
Beata tali sorte ter & quater,
Beata tali sed mage surculo
Domus paterna: quæ videre
Nunc quoq; gestit ouans reuersum.
Ad hanc profectus iamq; cupidine
Contendis æquo, nunc repetis pari
Amore, ausus post peractos,
Te cupide cupidum vocantem.
Sic est profecto: sit precor id bonum
Felixq; longa quicquid erit via
Professione deuorandum
Hac, ut aui superes secunda,
Faxit petito qui solet exitus
Probare iustas indubiè preces,
Qui hoc usq; te texit potenti
Sæpe manu, nec in hoc relinquet.

De

Depraliantes aequore feruido
Ventosini quo carcere comprimat,
Calo fruisçi teq; terfo
Nube procul faciat repulsa.
Saluum reducat te ungaria tua
Letumq; magnis augeat auctibus,
Te sospitet, bonisq; vitam
Omnib. accumulēt perennem.
O uirve, nostri sed memor, & vale,
Fidele nostrum tu quoq; mutuis
Amorib. dignare pectus.
Sic tibi sint sine nube soles.

F. Simon Vdalricus H.F.
Potoris.

A 3 EB





HST aliquid sanè varias decurrere terras
Multaq; cū populis regna videre suis.
Sic pius Aeneas, nec nō Laërtius Heros
Nominis æternū promeruere decus.
Turpe sed est mansisse diu voacuosq;
Hos qui non mutant corda sed æra foris. (redire)
Sic cum Therites Troiam venisset ad altam
Therites illic non Menelaus erat.
Ast te nobilium soboles, Sigemunde, parentum,
Non frustra tenuit Teutona terra diu.
Nam tibi divinas caput exeruisse per artes
Cura fuit, linguas & didicisse bonas.
Hic labor Hebræas, Graias, latiasque camœnas
Et duplicem Sophiam iunxit amore tibi.
Quid quod Teutonico, magnū hoc sermone disertus
Sarmatico potises verba referre sono?
Adde quod & mores varijs virtutibus aucti
Augebunt merito nomen honore tuum.
Ergo macte animo & reliquum iam confice cursum
Qui tibi non dubiam sterneret ad astra viam.
Sis pius, & nulli noceas, fac propria lætus,
Disce pati, fastum despice,, funde preces:
Fide Deo, diffide tibi, gravitate decori
Sint mores, summo cætera crede Deo.
Is tibi suppeditet vires ut Pannonis ora
Iam vestram felix experiatur opem
Fallor an ætherei sapiens moderatur Olympi
Audijs? is iussit pondus habere preces.

Iohannes Deczius Ungarus

ALIVD.

Felix, quem bona vera docent agnoscere Musæ;
Ut mentem rerum non sinat esse rudem.
Verum, ut vera loquar, multo felicior illo est
Doctrinam atque decus nobilitatis habens.
Virtutem adiungens his felicissimus esto:
Doctrinam virtus ornat, utramque Genus.
Atq; genus decorant virtus, Doctrinaq; : eodem
Fœdere juncta sibi qui tenet illa, sapit.
Gratulor ergo tibi quoq; claro Sanguine nato
Doctrinæ fuerit quod studiosus amor.
Dumq; genus gens prisca tuum tenet : artis amorem
Musarum & Charitum mens studiosa probat.
Virtutem Pietas oculis testatur honestis:
Index ast mentis sermo piusq; piæ.
Augeat ast gentem : mentem confirmet, & ipsam
Virtutem foveat, qui dedit, ipse D E V S.
Ut gestis genus eximijs, atq; usibus artes,
Virtutem exemplis excoluisse juvet.
Nomen & inde T I B I adsciscas, & nobile donum
Confirmes : Votum fata benigna probent.

M. Melchior Gerlachius Soraviaensis Lusatus observantia, ergo scribebat XXI. Martij Anno 1589

ALIVD.

Mons iacet albiacos inter notissimus agros
Leucoris, & sacri mons magnus Apollinis ipse;
Hic pius ordo patrum cælestia iura professus,
Et bona distribuit civilis munera vitæ

Do

Doctrinae radix, pietas hic lumina praefert,
Ad quem te generosa litis generosa cupido
Doctrinae rapuit, rapis & tu sedulus hospes
Fertur in Ausonijs quicquid spectabile chartis;
Ac Deus hos motus generoso in pectore fingit,
Ingenio tibi partus honos & sanguine splendor,
Has animi dotes confirmat gratia morum,
Hinc generis lux ampla tui es, laus ita Deorum est;
Ergo quod instituis consulto numine Christi
Perfice, sic abeas domini protectus ab umhra,
Christe precor patriam solertibus instrue telis
Clades Turca ferox sceleratas cordibus afflat
Sed rata legitimi nunc restant pectora coetus,
Nam Christi proceres pro nobis praelia miscent

Michel Cibraci.

ALIU D.

Si me castalia docuisset Phoebus in umbra:
Pierioq; , essent ora rigata, lacu,
Teq; , tuosque abitus celebrarem carmine: nec me
Pignore tam grato, dulce gravaret onus.
Sed quia iam dudum doctas mihi denegat aures:
Nec docet optatos, Callipæa, modos.
Attamen, é grato quod fertur pectore carmen:
Accipe, quod tenui gutture cantat amor,
Hic ubi Leucoræ, se tollunt inclyta, famæ
Mœnia, Teutonici, gloria summa, soli,
Doctas, haud segni coluisti pectore, Musas:
Fecisti scitâ, ferta decora, manu.

Et

Et pia, divini didicisti oracula verbi:
Quæ certam, monstrant, aurea ad astra, viam.
Nempe satis, sua cuique dies, & tempora durant:
Est ratio, in studijs, semper habenda, bonis.
Non unâ tellure salus, & littore, fixa est:
Tota, nec est uno, vita terenda, loco.
Aspicias, ut merces Nabathæos propter ad Indos
Currat; & hinc rursum tecta relicta petat
Fertur equis rapidis in ferrum, miles in arma,
Quâ vehit Euganeum flumina nota fretum.
Non tamen ut mortem dictis sibi quærat in oris
Aut patrias toto tempore linquat opes.
Pristina sed felix ut possit in arva reverius
Ferre triumphali, læta trophæa, manu,
Nam patriæ nati: patriæ debemus & ortus:
Expectat cives, patria terra, suos.
Scilicet est virtus peregrinas visere terras:
Sedulus & sacras excoluisse Deas.
Auspice divino petijsti argentea rura
Auspice divino Leucoris arva scholæ.
Felix, qui potuit diro in discrimine rerum.
Ferre salebrosæ, tædia longa, viæ.
Nam perduntur opes, superest post funera virtus:
Quæ verum nomen nobilitatis habet.
Gratia virtuti, si non exulta per artes,
Nulla est: nec nomen posteritatis habet.
Ardua, difficile est superare, cacumina, Pindi
Magna tamen superi præmia sæpe ferunt.

Præ

Præmia quæis summos laudis sectamur honores:
Candida quem factis fama perennis amat.
Ergo carpe viam: nam te vocat ardua virtus:
Ut captes studijs, præmia digna tuis.
Et validas Patriæ vires in viscera vertas
In Latium iactes dira trophæa ducem.
Et Mahometigenam, Phlegetonica semina, gentem
Teutona, quæ valido milite, regna, petit.
Sic tibi (crede mihi) virtutis gloria crescet
Inclyta, sic cœli sidera summa petes.
Sed precor, ut superi ventis tua vela secundis
Inflent: ut felix hinc tu puppis eat.
Et patriæ lætum referas, Sigemunde, triumphum,
Tellurem cernas, quam pius Hunus arat.
Vos ergo Musæ, vobis pia dona ferenti
Ferte citæ flores, lilia grata, thymum.
Phœbus odorato circumtegat atria lauro.
Et myrtho bifidas Calliopæa fores.
Vive diu, nostriq; memor quos disita tellus
Se separat, hos nexu mutuus arctat amor.

*Georgius Helt Soranus Lusati-
nus debita gratitudinis & ob-
servantia ergo*

FINIS.

Nil manet in toto durabile climate mundi,
Quicquid sydereo Phœbus ab axe videt.
Divitiæ Cræsi pereunt citò, formaq; mundi
Hæc perit, & fiet, quæ fuit ante nihil.
Gloria sed mentis durabit, & inclyta virtus
Sola manet, cuius stat sine morte decus.
Adde quòd in via huic nulla est via, candida virtus
Magnorum penetrat splendida tecta ducum.
Hic opus hic labor est: nam tendit ad ardua virtus
Dat quæ cultori, præmia digna, suo
Cuius si restat laus quædam (ut maxima restat)
Nec sinit hanc unquam, posthuma fama mori.
Tu quoq; qui Phœbi doctis caput artibus effers,
Clarus eris Pæzi, vitaq; perpes erit
Nam postquam celebrem lustrasti Pallados urbem,
Phœbus ubi sedem gaudet habere suam
Pieridum doctas tractasti sedulus artes,
Ingens unde tibi gloria iure redit
Et pia sanctorum didicisti oracula vatum,
Ex quibus hausisti dogmata vera Dei.
Tu decus es patriæ, tu lux nitidissima gentis
Pannonicæ, Aonij gloria magna chori.
Ergo tibi meritò præconia splendida laudum
Nunc damus, & flores, lilia grata, thymum. i

Sic

*Sic igitur decoratus abi, sic inclyte Peczi
Sismunde, Et meritis te comitetur honos.
I felix inquam, patriosq; revise Penates,
O decus o patriæ gloria magna tuæ,
Tibi gratetur reduci dulcissima Mater,
Latentur fratres te redeunte tui.*

Franciscus N^r Debrecinus

F I N I S

